

& numerantur in *l. 5. ff. de Prescript. verbis*. Scilicet. *De ... des. Facio, ut facias. Do ut facias; facio, ut des.* In his contractibus, etiam re non integra, licet pœnitere, & ipsam repetere de Jure Civili. *L. 5. ff. de Condit. caus. dat. locus de Jure Canonico; Arg. c. 1. b. t. vel Jure Regio Hispano. L. tit. 16. lib. 5. R. C.* Alij sunt contractus *bonæ fidei*, alij *stricti juris*. Contractus *bonæ fidei* sunt, qui benignam admittunt interpretationem, & de quibus secundum bonum, & æquum potest Judex pronuntiare, etiam de his, quæ non sunt expressa. Tales sunt emptio, & venditio, & alij, qui numerantur in *§. 28. Inst. de Action. stricti juris* sunt illi, in quibus strictè interpretatio fit, & præcisè secundum verba expressa, & naturam contractus. Tales sunt mutuum, stipulatio, aditio hereditatis, solutio indebiti, & alij, qui non numerantur inter contractus bonæ fidei in *§. 28. Inst. de Action.* Hæc differentia contractuum bonæ fidei, & stricti juris, etiam de Jure Canonico procedit. Ut ex *C. 6. de Exception.* contra alios probat *Pichard. in d. §. 28. q. 5.* Alij sunt *onerosi*, alij *lucrativi*. *Onerosi* dicuntur, quando utrique contrahentium onus imponitur, aliquid dandi, vel præstandi, ut sunt contractus emptionis, & venditionis, locationis, & conductionis, permutationis, & alij hujusmodi. *Lucrativi* sunt, quando unus tantum contrahens gravatur, ut donatio, commodatum, vel precarium. Et hæc ratione *unilaterales*, sicut ob rationem contrariam *onerosi bilaterales*, appellantur.

367 Contractus omnes perficiuntur aut *re*, aut *verbis*, aut *litteris*, aut *consensu*. *§. fin. Inst. de Obligationibus.* *Re*, qui scilicet actuali retraditione ita perficiuntur, ut ante illam, non producunt obligationem civilem. Tales sunt mutuum, commodatum, depositum, precarium, pignus, & permutatio. *Verbis*, qui scilicet certis, & solemnibus verbis constant, ut stipulatio: quæ his verbis concipi debet: *Spondez mihi dare centum? Spondeo. Litteris*. Illi scilicet, in quibus scriptura requiritur, ut emphiteusis de re Ecclesiastica, vel donatio insinuationem exigens. *Consensu*. Illi scilicet, ad quorum substantiam, seu naturam, neque verba solemnia, neque scriptura, neque rei traditio necessaria sunt, sed tantum consensus sufficit. Tales sunt emptio, venditio, locatio, conductio, societas, & mandatam. Quæ omnia constant *ex lib. 3. Inst. tit. 14. & seqq. Molin. de Just. &*

Jur. tr. 2. D. 254. Pichard. Vinnius. & ceteri Institutorij in præd. tit. Contractus, si perfectus est, producit obligationem. *Obligatio est juris vinculum, quo necessitate adstringimur alicujus rei solvenda secundum nostræ civitatis jura. §. 1. Inst. de Obligat.* Præterea obligatio ex perfectio contractus resultans est *naturalis*, & *civilis simul*, seu mixta: quæ quidem obligat, & in Foro Conscientiæ, vi consensu præstiti, & in Foro Externo, vi actionis ex obligatione resultantis. *Actio* liquidem est *ius persequendi in judicio, quod sibi debetur. pr. Inst. de Action.* si probetur contractus, sed verè deficiat consensus, resultat obligatio *merè Civilis* obligans solum in Foro Externo: Si non possit probari contractus celebratus, sed verè datur consensus, nascitur obligatio *merè naturalis* in Conscientia obligans, sed nihil pro Foro Externo deserviens ob probationum defectum. Etiam stante consensu non oritur obligatio naturalis in illis contractibus, qui irritantur Jure Naturali, vel Divino, vel positivo vi clausula, etiam obligationem naturalem impediens. Ut irritatur omnino matrimonium elandestinum, esto firmissimus consensus ex parte utriusque contrahentis adit. *Trid. sess. 24. de Ref. matr. cap. 1.*

368 Contractus in his, quæ ipsis extrinseca sunt, ex partium conventionale legem accipiunt. *L. 1. §. 6. ff. de Pign. L. 23. ff. de Reg. Jur. c. 85. eod. in 6.* Aliquando *purè*, & *absolutè* fiunt, nulla scilicet adjecta qualitate conditionis, temporis, vel modi. In contractu puro dies statim *cedit*, id est, statim incipit illius obligatio, & etiam dies statim *venit*, id est statim potest exequi. *L. 213. ff. de V. O.* Sed hoc cum grano salis intelligendum est: nec enim decet, quod statim, ac venit dies ad debitorem urgendum cum sacro creditor accedat, hoc enim incivile est *L. 105. ff. de Solut. sub conditione* celebratur contractus, quando ipse alicui eventui alligatur, & sub his particulis regulariter concipitur. *Si, nisi, casu quo, cum, nec alios, quando, &c.* Quod si conditio est de præsentij, vel præterito, non suspenditur contractus obligatio, sed statim firma est, si quo conditio impleta est: vel si impleta non est, statim est nulla obligatio. *L. 100. ff. de V. O.* Si est de futuro, necessaria tamen, contractus habetur tanquam si purè esset celebratus, & statim producit obligationem. *L. 9. §. 1. ff. de Novation.* Si conditio est impossibilis de facto, quia per rerum naturam physice repugnat, vel de jure est impossibi-

lis,

lis, quia contra bonos mores est, vitiat contractum, nullamque producit obligationem. *L. 31. ff. de O. & A. quia ea est cogitatio, ut nihil agi existiment, apposta ea conditione, quæm sciunt, esse impossibilem.* In testamentis, & matrimonijs, ob eorum favorem conditio impossibilis non ipsa vitiat, sed ipsa vitiat, & pro non adjecta habetur. *L. 6. ff. de Condit. Inst. C. fin. de Condition. appost.* Si verò conditio est contingens, & pendens in futurum (quæ sola est verè, & proprie conditio faciens contractum conditionalem) illum suspendit, donec conditio adimpleatur, & ea pendente, neque venit, neque cedit dies, hoc est, nec debetur, quod in contractu conditionali promittitur, nec peti potest. *L. 213. ff. de V. O.* Sed est spes debitum iri: quæ quidem spes, seu jus ad hæredes transmittitur. Si conditio negativa apponatur: v. g. si in Capitolium non ascenderit: in ultimis voluntatibus pro impleta habetur vi *Cautionis Mutiana*, quæ præstat de restituenda re, si non servetur conditio. *L. 7. l. 79. ff. de Condit. & demonstr.* in contractibus est expectanda mors ejus, qui impleturus est conditionem: quæ posita hæredes ejus rem obtinebunt. *Orate de Contract. D. 13. n. 158. Lugo de Just. D. 22. n. 376.* Quando in contractu *dies*, vel *tempus* ad ejus adimplerem assignatur, si hoc est incertum, quia dubium est, an aliquando sit futurum, v. gr. tempus pubertatis Titij, habetur tanquam conditio. *Arg. L. 1. §. 3. ff. de Condit. & demonstr.* Si verò tempus certum assignatur, vel quod certo exiturum est, licet nesciatur quando. V. g. tempus mortis paternæ: statim cedit dies, sed nondum venit: hoc est, obligatio incipit: sed non potest exequi, donec lapsus sit tempus assignatum. *§. 2. Inst. de V. O.* nisi aliqua summa annua pro elemosyna, & alimentis præstanda est: nam tunc solvenda est, & peti potest in principio anni. *L. 1. C. Quando dies legat.* quippe dies in contractibus in favorem debitoris adijcitur. Etiam contractus fiunt *sub modo*, qui hæc particula ut solet concipi: quando, scilicet, aliquod onus, vel obligatio contrahenti imponitur. V. gr. dono tibi centum, ut Ecclesiam ædifices. Modus non suspendit obligationem: & in hoc differt a conditione, sed statim obligationem inducit. *L. 1. ff. de Donation. que sub. mod.* statimque ante modi adimplerem, præstita cautione, modo exequendo, potest quod in contractu promittitur, peti. *Molin. de Just. & Jur. tr. 2.*

D. 208. n. 8. Quando dubitatur, an sit conditio, an modus, præsumitur conditio. *L. 109. ff. de Condit. & demonstrat.* In alternativis obligationibus: v. gr. Solves 100. vel 80. regulariter electio est debitoris, & satisfactio alterutrum, quam maluerit adimpleat. *C. 70. de Reg. Jur. in 6. l. 23. tit. 11. p. 5.* quia in dubio favendum est reo: Si contractus factus in favorem creditoris, illius erit electio. In promissione alternativa, si aliqua res peccat culpa creditoris, quia v. gr. rem à debitore oblatam non accepit, debitor liberatur, ita ut nec pretium rei peremptæ, nec aliam rem extantem teneatur præstare. *L. 105. ff. de V. O.* Si debitoris culpa perijisset, potest creditor extantem petere, vel si hæc pretiosior sit, peremptæ pretium petere valet. *L. 95. ff. de Solution. quia cuilibet sua mora debet esse nociva. C. 25. de Reg. Juris in 6.* Et convenit quod culpa suos teneat Authores. *L. 22. C. de Pœnis.* Si nullius culpa perij, & optio ad debitorem spectat, sat est, præstare rei peremptæ pretium, etsi vilioris pretij sit, quam extans. *L. 47. §. 3. ff. de Legat. 1.* Si ad creditorem spectat electio, ipse eligit, vel rei peremptæ pretium, vel extantem, quam maluerit. *L. 95. ff. de Solution. Greg. Lop. in l. 23. tit. 11. p. 5. V. Fincase viva.*

TIT. XXXVI.

De Transactionibus.

369 CUM per lites inimicitia, odia, accusationes, inquietudo animi, & alia inconvenientia causentur, cum sint quasi quoddam bellum, quod in foro exercetur, juxta illum. *Nos lenta feri pugnans arena*, id est Ecclesia quotidie petit à Deo, quod *extinguat flammam litium: & ne litis horror insonet.* Imò, & Jus Civile, multo magis Jus Canonico, & Hispanum lites execratur. *L. 13. C. de Judic. C. 5. de Dolo, & Contum. L. 10. tit. 17. lib. 4. R. C.* Ideo omni jure est admissa transactio: Hanc enim quilibet Christianus debet ante litem intendere, multoque magis persona Ecclesiastica, quarum officium est partes discordantes ad pacem, & concordiam redigere. *C. 9. D. 90.* Et sanè sæpè utilius est litem cedere, quam in lite vincere: ideo Christus D. apud *Matth. 5. v. 40.* dixit: *Ei, qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere: dimitte ei, & pallium.* Nam

ut

ut communiter dicitur. *Melior est transactio tenens, quam perquis sententia.* Et in nostro idiomate dicitur: *Mejor es mala composicion, que buen pleyto.* Gonzal. in c. 1. b. 1. n. 2. Late Valeron de Transact. & alij. Transactio ergo sic dicta, quali transactio actionis, latè accepta significat quamcumque amicabilem negotij compositionem. L. 229. ff. de V. S. ac proinde est quedam pacti species. *Strictè* tamen sumpta est *pactio non gratuita de re dubia, & controversa, seu litè incerta, & nondum finita.* C. 7. b. 1. l. 1. ff. eod. In ipsa igitur debet aliquid dari, vel remitti, vel retineri, vel promitti: & res, de qua transigitur debet esse dubia, quia vel lis jam mota, vel saltem movenda est. L. 2. C. b. t. Si de re certa transigitur, non potest sic transigens acceptum, quod ad se non pertinere icit, in conscientia retinere, & insuper in Foro Externo irrita est talis transactio. L. 1. l. 2. C. b. t. ac proinde non tenet transactio de re iudicata, quæ transijt in auctoritatem talis. L. 32. C. b. t. quia res iudicata rem certam, & indubitam inter partes facit. L. 207. ff. de Reg. jur. sed in alio quocumque statu litis bene potest transigi, scilicet, vel ante, vel post contestationem: quinimo etiam post sententiam, si ab ea appelletur, vel possit appellari, vel supplicari, vel restitutio in integrum peti: quia in tali statu, adhuc res est dubia. L. 32. C. b. t. Transactio est contractus onerosus, quia ex partium consensu ultro, citroque obligationem civilem inducit: quamvis alij dicant, esse distractum, quia priorum obligationem, & actionem tollit. A sententia judiciali differt in eo, quod hæc feratur in invitos: secus transactio, quæ tantum ex conventionione partium finem litæ imponit. Alia est *realis, personalis* alia. *Realis* est, quæ ad hæredes transit, illotique obligat; *arg. L. 7. §. 8. ff. de Pactis.* *Personalis* est, quæ solum transigentes obligat, nec ad successores transit. C. 5. b. t. potestque fieri vel purè, vel conditionatè, in iudicio, vel extra iudicium, vel verbis tantum, vel interveniente scriptura, vel cum iuramento, vel sine eo, vel pœna apposta, vel cum clausula, rato manente pacto, &c. Si verò nudo pacto fiat de iure Civili exceptionem tantum, de iure tamen Canonico, & Hispano obligationem, & actionem Civilem insuper producit. C. 1. de Pactis, l. 3. tit. 16. lib. 5. R. C.

370 Cum transactio sit quedam alienationis species. L. 4. C. de Prædij Minor. Omnes, & illi soli, qui habent po-

testatem alienandi, transigere possunt. *Arg. L. 21. C. Mandat.* Hinc mutus, iurdus, & quilibet sanus mente, licet æger corpore, transigere valet. L. 27. C. b. t. Nec solum Dominus rei, sed etiam procurator potest transigere, dum tamen ad hoc habeat speciale mandatum, vel sit procurator cum libera administratione. L. 58. ff. de Procurat. C. 4. eod. in 6. aut in rem suam sit datus procurator. L. 17. ff. de Jur. jur. alias nequit procurator transigere, etiam si sit procurator generalis, & omnium bonorum. L. 60. ff. de Procurat. Curatores, & Tutores possunt transigere de lite minorum, & pupillorum. L. 54. §. fin. l. 56. §. 4. ff. de Furtis. Si jus partium sit obicium, aut probationes non suppetant. L. 46. §. fin. ff. de Administrat. Tutor. l. 35. ff. de Jur. jur. Si tamen res immobilis, vel mobilis pretiosa per transactionem cedenda sit, requiritur Decretum iudicis. L. 4. C. de Prædij Minor. Idem dicendum est de Syndicis, & Administratoribus Civitatum, qui licet de iure dubio possint transigere, nequeunt hoc facere de immobilibus, & mobilibus pretiosis sine superioris consensu. L. fin. C. de Vendend. rebus Civitat. lib. 11. Prælati, alijque Ecclesiarum Administratores, & Rectores possunt de rebus medicis, vel parum utilis, etiam si immobiles sint, transigere: ad transigendum verò de rebus immobilibus, vel de mobilibus pretiosis indigent eadem solennitate, quæ est necessaria ad alienandum. C. 2. c. 3. b. t. nisi habeant mandatum procuratorium liberum cum *Clausula de Rati/abitione* Capituli, scilicet, quod Capitulum, vel Conventus ratum habebit quidquid Prælati, egerint in tali casu. C. 3. b. t. Quinimo Prælati, Tutores, Administratores, & majoratus possessores transigere possunt de quibuscumque rebus, quando hoc modo eas retinent, vel recuperant: Etiam aliqua pecunia oblata: vel aliter faciunt suam conditionem meliorem. Vassallus sine consensu Domini directi in re feudali, hæres gravatus fideicomisso, vel qui bona vinculata, vel majoratum habent in Nostra Hispania, Pater de bonis ademptiis, filij jam emancipati sine Decreto iudicis. L. 10. ff. b. t. Religiosi sine Prælati licentia; *arg. C. 11. 12. q. 1.* nequeunt transigere; sicut alienare non possunt sine prædictis licentijs, & circumstantijs. *Molin de Jus. & jur. tr. 2. D. 557. Anton. Gom. in l. 40. Taur. n. 86. Greg. Lop. in l. 10. tit. 26. p. 4. col. 5. in med.* Pupillus, & minor non aliter, quam cum

eum auctoritate Tutoris, & Curatoris transigere valent; *arg. l. 5. ff. de Auctoritat. Tutor.* idem est de prodigo. L. 6. ff. de V. O. At verò infantes, vel amentes nullo modo ob defectum consensu possunt transigere. L. 1. §. 3. ff. de Pact. Quamvis Judex possit litigantes ad transactionem hortari, regulariter tamen non potest eos ad transigendum cogere, cum nemo invitus teneatur suo juri cedere, quo post litem intentatè, ut rem integre consequatur; *arg. L. 11. C. de Contrab. empt.* nisi fortè lis sit valde dubia, & intricata, vel aliqua inconvenientia, vel scandala timerentur: nam tunc pro bono pacis possent partes ad transigendum cogere.

371 Transactio super omni, & sola re dubia, & controversa fieri potest, dum non prohibeatur specialiter. L. 1. ff. b. t. l. 34. tit. 14. p. 5. Non tamen potest transigi de hereditate viventis. L. 4. C. de Possim. revers. Nec de his, quæ Testamento, vel Codicillo relicta sunt; nam de eis nequit transigi, nisi inspectis, cognitisque verbis testamenti. L. 6. ff. b. t. Nec transigi valet sine Judicis auctoritate de alimentis futuris in ultima voluntate relictis. L. 8. ff. b. t. ne in his duobus casibus contentu modico præsentè, facile transigant, & negligatur testatoris voluntas: imò contra eam egeant sic transigentes. Huic tamen juri possunt renuntiare juramento adjecto, quia cum hoc non contineat peccatum, nec tertij detrimentum, debet servari. C. 28. de Jur. jur. De alimentis verò, quæ non sunt donata mortis causa, licitum est transigere sine Prætorè auctorè: & similiter de alimentis præteritis. L. 8. C. b. t. super matrimonio transactio fieri nequit. C. fin. b. t. siquidem hæc causa, juxta Sacros Canones necessario definienda est: ne alias contingat, vel matrimonium legitime contractum dissolvi, vel illegitime initum perseverare. Nec de rebus spiritualibus potest transigi, quando pro illis aliquid temporale datur, ob simonia vitium; v. g. si super jure decimas percipiendi hoc modo transigetur. C. 2. b. t. vel super jure patronatus, seu præsentandi ad beneficia, vel super subjectione spirituali alicui debita. C. 9. c. 10. b. t. At verò pro re spirituali alia spiritualis bene potest dari. C. 6. c. fin. de Rerum permut. in beneficijs verò est prohibita omnis transactio onerosa sine superioris auctoritate, tamquam simoniaca, etiam si unum beneficium pro alio detur: non fortè fiat intuitu præbendæ, quæ in proventus temporalibus consistit. C. 4.

c. 5. c. 6. b. t. Transigere, vel pacisci de crimine capitali, (excepto adulterio) prohibetur non est: ignoscendum Principes censuerunt ei, qui laqueum suum qualiter redemptum voluit. L. 1. ff. de Bonis eor. qui ante sentent. in alijs autem publicis criminibus, qui sanguinis poenam non ingerunt, transigere non licet, citra falsi accusationem. L. 13. C. b. t. de crimine falsi, quod gravem infamiam infert, quæ poenæ sanguinis æquiparatur transigi potest. Similiter de crimine privato civiliter intentato ad interessè partis transigere licet: secus si criminaliter ad vindictam publicam agatur: tunc enim non licet transigere, ne delicta maneant impunita. L. 51. §. 2. ff. ad Leg. Aquil. Quod si citra casus permittos reus de delicto transigit per confessio habetur, nisi probet, præciè ad redimendam vexationem, vel ad vitandos litis sumptus transigisse. L. 23. C. ad Leg. Jul. de Adulter.

372 Cum Republicæ expediat lites sopitas non amplius suscitari, hinc transactio legitime facta rei iudicate æquiparatur. L. 20. C. b. t. & licet non pariat actionem civilem, si non sit firmata traditione, vel stipulatione; parit tamen exceptionem litis finitæ. L. 17. C. b. t. nec potest altera parte invita revocari. L. 34. tit. 14. p. 5. ibi: *E por ende decimos, que la accionencia, è el pleyto, que assi fuessè fecho, que hoc non guardado tambien por la una parte, como por la otra: ne quidem per Rêscriptum Principis revocatur.* L. 16. C. b. t. nec prætextu instrumentorum reperorum de novo. L. 19. l. 29. C. b. t. Si generalis est, generaliter rescindenda est: si specialis, specialiter; extenditur tamen ad connexa, & accessoria. L. 27. §. 4. l. 35. ff. de Pactis. Tamen varijs modis rescinditur: & quidem 1. si in ipsa interveniat injustus metus gravis. L. 2. C. b. t. vel dolus. L. 34. tit. 14. p. 5. vel error substantialis. L. 15. ff. de Jurisd. Quippe in his casibus deficit necessarius consensus. 2. Si partes in rescisionem transactionis consentiant. L. 14. C. b. t. cum nil tam naturale sit, quam res eo modo solvatur, quo colligata est. L. 35. ff. de Reg. jur. 3. Si ex falsis instrumentis inita fuit transactio. L. 42. C. b. t. 4. Læso minoris, quæ per restitutionem est reparanda, & læsio enormissima majoris, etiam jurata, rescinduntur transactionem. Si tamen hæc læsio sit infra dimidium, non rescinditur transactio, sicut non rescinditur venditio. L. 2. C. de Rescind. vendit. C. 3. c. 6. de Emption. & vendit. Imo etiam læsio sit ultra dimidium,

dium, si tamen non est enormissima, non rescindit transactionem, ut contra *Molin. de Just. tr. 2. D. 5. 6. & alios tenent Glos. in C. 6. de Emption. v. Restituerent. Greg. Lop. in l. 34. tit. 14. p. 5. v. Quanto quier.* Et quidem ipsa Lex satis nostram sententiam declarat. *F. cit. l. 78. §. fin. ff. ad S. C. Trebell.* Et quia sententia, quae transit in rem iudicatam, et comparatur transactioni, *L. 20. C. b. t. non rescinditur prae-textu cuiusquam lationis, etiam ultra dimidium. Tot. tit. C. Sentent. rescind. non poss.*

TIT. XXXVII.

De Postulando.

373 **P**ostulare sumitur aliquando pro eo, quod est eligere in Praetatum aliquem, qui impedimento Canonico laborat, ut in *Tit. de Postulat. Praelat.* sed in praesenti idem est postulare, ac advocare. Teste enim Ulpiano in *L. 1. §. 2. ff. de Postulare est desiderium suum, vel amici sui in iure apud eum, qui jurisdictioni praesit, exponere, vel alterius desiderii contradicere.* Idem in *C. 2. §. 9. 7. l. 1. tit. 6. p. 3. Advocatus ergo, qui & Orator, & causidicus Togatus, Patronusque causae vocatur, est, qui pro altero praesente postulat, patrociniumque praestitit causam in iudicio defendendo secundum iura. In *L. 1. tit. 6. p. 3.* dicitur: *Bozero: porque con voces, y palabras usa de este officio.* Communiter tamen dicitur advocatus. *L. 1. ff. de Extraord. cognit. C. 1. c. 2. b. t.* quia ipsi in consilium advocantur. *Genz. in C. fin. b. t. n. 5.* Horum officium est publicum, & honorabile. *L. 4. C. de Advocat. divers. Judic.* Advocatus non fit Dominus litis, etiam per litis contestationem. *L. 1. C. de Error. advocat.* Et de praevaricatione tenetur, si colluserit cum adversario. *L. 1. C. de Advocat. divers. Judic.* Et in his praecipue differt à Procuratore, cuius officium est magis privatum, & de Jure Civili, vile, & onerosum. *L. 34. C. de Decurion. lib. 10.* Nec tam scientia, quam diligentia in eo requiritur, & postulat pro absente, & post litis contestationem fit Dominus litis. *C. 1. §. 1. de Procurat. in 6. si causam male gerit, vel colluserit cum adversario, tenetur actione mandati. L. 8. §. 1. ff. mandat. Advocatus, qui in causa publica suam operam impendit, publicus dicitur, v. g. si in causa Fisci quis sit Advocatus, & talis dicitur *Fiscalis*: de cuius munere late agit *D. Erasmus de Alfaro.* Ille vero, qui in**

albo Advocatorum est scriptus, dicitur *immatriculatus.* Et quidem talis, cum officium publicum gerat, nequit suum patrocinium, sine iusta causa denegare illud poscenti; ad quod non tenetur, qui non est in albo Advocatorum descriptus. Et sic descriptum potest Judex compellere patrocinium partibus illud petentibus praestare, quando vel ob contrarii potentiam, vel ob petentis inopiam renuit Advocatus suam operam, & patrocinium impendere. *L. 1. §. 4. ff. b. t. l. 6. tit. 6. p. 3. l. 28. tit. 16. lib. 2. R. C.* vel quando partes sunt pauperes, & miserabiles. *L. 6. tit. 6. p. 3. l. 16. tit. 16. lib. 2. R. C.* dum tamen litigans Advocato caret, nequit, ut contumax condemnari, sed ipsi iudicia ad illum quaerendum dantur. *C. 1. Ut litte non contest. L. 28. tit. 16. lib. 2. R. C.*

374 Advocati possunt esse quicumque non prohibentur. *L. 1. ff. b. t. arg. l. 43. §. 1. ff. de Procurat.* dummodo periti juris sint, vel fori, & consuetudinis, saltem ex longo usu. *L. 2. C. b. t. l. 2. tit. 6. p. 3.* Prohibentur, praecipue Hæreticus. *L. fin. C. b. t. infidelis, servus, cæcus, quia non potest insignia Magistratus videre, & revereri: Surdus, infamis, condemnatus publico iudicio de crimine, vel calumnia. Minor 17. annis completis. L. 1. ex §. 3. ff. b. t. C. 2. §. 9. 7. l. 2. h. 3. l. 4. §. 5. tit. 6. p. 3.* Fœmina nequit publice postulare, ne contra pudicitiam sexui congruentem virorum coetibus se immisceat. *L. 31. §. 6. ff. Negot. gestis. L. 3. tit. 6. p. 3.* ubi etiam hæc ratio additur: *Porque antiguamente lo defendieron los Sabios por una muger, que decian Calfurnia, que era sabidora, porque era tan desovonzada, que enojaba a los juces con sus voces, que non podian con ella.* Nec possunt postulare potentiores contra infirmiores, ne iudicem terreat, jusque partis adversæ opprimant: nec Judex, ne arbiter in causa, in qua sunt iudicaturi, possunt esse Advocati. *L. 6. C. h. t.* nec Decuriones contra Patriam. *L. 10. §. 1. ff. b. t.* Judex tamen potest suam sententiam descendere, si ab ea fuit appellatum, nullo tamen accepto salario. *L. 13. tit. 16. lib. 3. R. C.* nec excommunicatus potest Advocatus esse. *C. 8. de Sentent. excom. in 6.* nec Religiosi, nisi in causis sui Monasterij de contentis Praelati in foro Seculari. *C. 2. b. t.* Franciscani vero, nec de licentia sui Praelati, nec ob Conventus utilitatem nequeunt advocare. *Cl. 1. de V. S. Clerici etiam in minoribus nequeunt coram Judice Seculari postulare, maxime, in causa mortis, & mutilationis,*

si postulent pro actore contra reum, propter periculum irregularitatis. *C. 9. Ne Clerici. vel Monach. possunt tamen defendere reum, quamvis securus sit, etiam ab hoc abstinere. Arabes. in l. 15. tit. 16. lib. 2. R. C. n. 2.* nec possunt postulare contra Ecclesiam, à qua beneficium obtinent, nec contra proprium Episcopum, etiam in Tribunali Ecclesiastico. *C. fin. b. t.* nisi iusta causa aliud suadeat. Possunt vero Clerici, etiam Sacerdotes, postulare, etiam in iudicio seculari, pro se ipsis, vel pro suis Ecclesijs, vel pro personis conjunctis usque ad quartum gradum: vel pro miserabilibus personis, quales sunt pupilli, orphanii, viduæ, pauperes, vel Indii. *C. fin. b. t.* Præter hos casus in Tribunali Seculari non possunt Sacerdotes postulare; quia illorum officium est nulli nocere, omnibus autem velle prodesse. *C. fin. b. t.* Clerici, etiam Sacerdotes, possunt postulare in quacunque causa coram Judice Ecclesiastico; *arg. à contr. in C. 1. b. t. Genz. in C. 3. b. t. n. 12.* Clerici, etiam in majoribus constituti, si beneficio careant, postulare coram Judice, etiam seculari valent, ut sic propria necessitati consulant. *Genz. in C. 3. b. t. n. 8. Barbo. Valase. & alij.* Sed hoc in nostra Hispania credo, esse prohibitum in *L. 10. tit. 3. lib. 1. R. C.* certe in nostro Jure Tabelliones nequeunt esse Advocati. *L. 30. tit. 16. lib. 2. R. C.* nec Reatores Audientiarum. *L. 13. tit. 13. lib. 2. R. C.* & insuper, ut quis possit esse Advocatus requiritur, quod sit graduatus in Jure Canonico, vel Civili, & examinatus, & in matricula Advocatorum descriptus. *L. 13. tit. 6. p. 3.* nec potest praesentari libellus, qui non sit ab hujusmodi Advocatis subscriptus, nisi forte ab ipsa parte factus sit. *L. 1. tit. 16. lib. 2. R. C.*

375 Advocatus debet esse modestus, non verbosus, nec procax. *L. 7. tit. 6. p. 3.* Et cum ex factis jus oriatur, facti narrationem in scriptis recipiet. *L. 3. l. 14. tit. 16. lib. 2. R. C.* ut jus, & quantum in sui clientis favorem faciat, alleget: non debet fovere, (nam hoc opus Diaboli est) sed extinguere curabit flammam litium, sicut quotidie orat Ecclesia: abstinere debet à fallacijs, nec Leges falsas, vel correctas, vel truncatas allegare potest: nec contra Legem expressam postulare valet. *L. 16. tit. 16. lib. 3. R. C.* debetque brevi compendio, claro tamen, jus suæ partis ostendere, non tamen Leges, nec jura in libellis citare, nam Judex censetur jura scire, & in serinio pectoris habere. *C. 1. de Const. in 6. §. 4. tit. 16. lib. 2. R. C.*

multoque magis convitijs, & petulantia verborum abstinere debet. Quando coram Judicibus causam defendit, potest Textus, & DD. citare. Idem facere potest in allegationibus scriptis, seu impressis, quæ post discussam causam solent Judicibus praesentari, ut in miscujusque partis vult pateat. Quando tamen coram Judice vult pro sua parte allegare, stare debet. *L. 7. tit. 6. p. 3. ibi: Si los bozeros deben razonar en pie. L. 1. C. de Offic. Civil. Judic.* dum Advocati non orant, sedent, quin & in Hispanis Praetorij est in usu, quod sedentes, detecto tamen capite orant. Ficales vero in principio orationis reverentiam faciunt, sed postea capite recto orant. Advocati sedent in Cancellarijs, juxta cuiusque auctoritatem. *L. 25. tit. 16. lib. 2. R. C. Et ibid. Azor.* Et prius incipit loqui Advocatus actoris, & postea sequitur Advocatus rei; sed iura debent orare, ut non proferant verba injuriosa, nec superflua. *L. 7. tit. 6. p. 3. Et ibid. Greg. Lop.* Non potest Advocatus causam proferre, revelando arcana, nec merita causæ, nec eam parte adversa colludere. *L. 17. tit. 16. lib. 2. R. C.* quod si aliquis hæc faciat, potest à Judice privati in officij exercitio. *L. 11. l. 12. tit. 6. p. 3.* nec potest deserere causam semel susceptam in vivo cliente. *L. 6. C. b. t. l. 2. tit. 16. lib. 2. R. C.* si per errorem aliquid dixit Advocatus in suæ partis præjudicium, illud debet revocare, errore probato, si non dum sit lata sententia definitiva, vel etiam si lata sit, si ab ea fuit appellatum. *L. 8. tit. 6. p. 3. Et ibid. Greg. Lop.* si per imperitiam, vel negligentiam damnum causavit, illud restituere tenetur. *L. 6. tit. 16. lib. 2. R. C.* potest tamen Advocatus non solum causam probabiliorum, sed etiam minus probabilem, dummodo suum clientem de minori probabilitate moneat, defendere se tot. *La ruz l. 4. n. 1507. cum pluribus; contra aliquos; siquidem eas, quæ minus probabilia videntur, possunt re ipsa esse veriora.* Præterquamquod ipse solum proponit argumenta partis, quod ipsa pars possit facere, & Judici relinquat decisionem, qui forte ex alijs fundamentis potest iudicare hanc partem, vel veram, vel probabiliorum; ac proinde non debet litigans patrocinio deistitui. Non tamen potest in eadem causa, etiam si causa dubia sit, pro utraque parte postulare: nec potest, saltem de Jure Hispano, in causa appellationis descendere partem contrariam, contra quam in prima instantia postularit. *L. 13. tit. 16. lib. 3. R. C.* Si vero causam

injustam, vel contra Legem expressam sciens suscipiat, tenebitur tum Clienti, si eum deceptum parti laesa restituere damna. *L. 6. tit. 16. lib. 3. R. C.* quod si à principio ipsi videretur justa, postquam injustam esse cognovit, debet eam deserere. *D. Thom. 2. 2. q. 7. art. 3.* ad quod in nostra Hispania sub juramento tenetur. *L. 2. tit. 16. lib. 2. R. C.* si Advocatus in eadem causa utraque partem adjuvat, unam publicè, alteram secretò, dicitur pravaricator: quod si faciat scienter, partem uti falsis instrumentis, vel testibus, utroque casu poena mortis punitur. *L. fin. tit. 6. p. 3.*

376 Potest advocatus à suo Cliente petere, & cum eo pacifici de salario, seu stipendio, quod honorarium solet appellari; ut in *L. 1. §. 10. ff. de Extraordin. cognit.* dum non excedat taxationem à Lege factam. *L. 14. tit. 6. p. 3. l. 18. & seqq. tit. 16. l. 2. R. C.* Siquidem nemo suis stipendijs cogitur militare. *C. 16. de Prescription.* Sed nihil percipere potest nomine victoriæ, & palmarum. *L. 7. cum seqq. l. 29. tit. 16. lib. 2. R. C.* nec potest pacifici de pretio post litem inchoatam. *L. 7. tit. 16. lib. 3. R. C.* salarium tamen debet taxari juxta qualitatem causæ, & litigantium, & diligentiam, studium, & laborem Advocati. *L. 11. tit. 16. lib. 3. R. C.* debet tamen pauperes defendere gratis, ubi non sunt Advocati pauperum. *L. 16. tit. 16. lib. 2. R. C.* Advocati, & procuratores nequeunt salarium petere post trium annorum à die debiti, lapsum. *L. 32. tit. 16. lib. 2. R. C.* Advocati participant privilegia militaria, præter ea, quæ ob ignorantiam sunt militibus concessa. *L. 14. C. de Advocat. diversor. Judic.* ibi: *Militans namque causarum patroni, qui gloriosa vocis confissi munimine laborantium spem, vitam, & posteris defendunt.* Nec possunt torqueri, nec sustigari, nec suspendi, quia nobilitatem privilegij decorantur. *L. 7. C. b. t. arg. l. 3. tit. 10. p. 2. Et ibid. Greg. Lop. V. Saviduria de los derechos.* Et hac ratione immunes sunt ab oneribus, & muneribus realibus, & personalibus. *L. 6. C. de Profes. & Medic. lib. 10.* Hoc denique officium, si ut oportet, exerceatur, ut laudabile, vitæque hominum maximè necessarium, Principalibus præmijs remunerari oportet. *L. 4. C. de Advocat. diversor. Judic.* De quorum privilegij, & laudibus latè agit *D. Melchior. de Cabrera Nuñez*, ubi plures illustres viros, qui hoc officium exercebant referunt: Siquidem Moyfès, Abraham, D. Hieronym. S. Ambros. S.

Damasus, & alij Advocati fuerunt: & S. Ivo Advocatorum Advocatus est: imò & ipsa Sanctissima Virgo Maria, nostra Advocata salutatur ab Ecclesia: & Christum Dominum Advocatum habemus apud Patrem. *Joan. 1. cap. 2. v. 1.* sed improbus Advocatus, ut petem Republicam increpat. *Cevall. Com. Bobadill. Polit. lib. 3. cap. 14. ex n. 56.* Et ipsos alloquens *D. Aug. Ep. 54. ait: Redde, quod accepisti; quando contra veritatem stetit, iniquitati adfuisse, Judicem fecerit, justam causam oppressisti, de falsitate vicisti.* De Advocatis latè agitur in Digesto, & Codice sub titulo de Postulando. *Et in tit. 6. p. 3. Et in tit. 16. lib. 2. R. C. Et in tit. 24. lib. 2. R. Ind.*

TIT. XXXVIII.

De Procuratoribus.

377 **P**rocurator, sic dictus, quasi pro alio curator, est qui aliena negotia mandato Domini administrat. *L. 1. ff. b. t. qui etiam in jure Responsalis vocatur, C. 25. de Rescript.* Et ibid. *Gonz. n. 8. Hispanè appellatur: Procurador, y Personero.* *L. 1. tit. 5. part. 3.* differt ab advocato, quia hic non gerit privatim negotia aliena mandato Domini, sed pro altero dicit, & advocat, & jus suæ partis explicat, & allegat merita causæ: *Negotiorum gestor, & defensor*, etiam administrant negotia aliena, sed sine Domini mandato. *L. 2. ff. de Negot. gest.* Et in hoc à Procuratore differunt Tutor, & Curator, etiam negotia aliena administrant, sed etiam sine Domini mandato: sed hoc habent à publica autoritate Legis, vel Magistratus, vel à Testatoris voluntate. Hinc Procuratoris officium, cum sit species mandati deberet esse gratuitum, sicut mandatum. *L. 15. C. b. t. ac proinde quoties de mercede convenitur, locatio est. L. 1. §. fin. ff. Mandat. Procurator, alius dicitur verus alius falsus. Verus est, qui legitimum mandatum administrandi à Domino habet: legitimum mandatum erit, si factum sit juxta *L. 13. & seqq. tit. 5. p. 3. Falsus* Procurator dicitur, qui mandatum non habet, vel quod habet est illegitimum, & iniustus. *L. 19. C. de Furtis.* Procurator alius est *Judicialis, Extrajudicialis* alter. *Judicialis* est qui ad lites alieno nomine profectendas datur. *Extrajudicialis* ille dicitur, qui ad negotia extrajudicium admini-*

stranda datur. Et hi solent appellari in jure *Mandatores*. Quod si datur ad universalia bona, & negotia administranda *Procurator generalis* dicitur: E contra vero *particularis Procurator* appellatur, quando unius rei, vel negotij administrationi ipsi mandatur. *L. 1. §. 1. ff. b. t. Similiter* dicendum est de Procuratore judiciali. Aliquando requiritur, quod Procurator habeat mandatum speciale. Tale est necessarium ad causas Criminales criminaliter intentatas, ad jurandum de calumnia, ad defendendum juramentum decisivum parti adversæ, ad transigendum, compromittendum in arbitrium, ad matrimonium, ad restitutionem petendam, ad rescipitum impetrandum, ad fidejubenendum, ad donandum, ad debitum remittendum, ad renuntiandum beneficio, ad præsentandum ad beneficium, ad petendum absolutionem ab excommunicatione, vel dispensationem super defectu natalium, & alia hujusmodi. Nec hoc mandatum suppletur per clausulam: *Ut possit omnia, licet speciale mandatum exigant.* *C. 4. b. t. in 6. Cl. 2. b. t. L. 19. tit. 5. p. 3. Paz in Prax. annot. 4. n. 15.* Mandatum specialiter concessum ad aliquas lites; vel negotia non comprehendit majora, vel graviora expressis; etiam adjecta clausula: *Ad omnes lites, & negotia, quæ habeo, & habere spero.* Imò hæc clausula solum includit lites præsentates, & ex præsentibus ortas; non vero futuras, nisi dependeat ex libris de præsentibus. Nec mandatum contra unum; & alios includit digniores, imò etiam adjecta clausula generali: *Contra quamecumque personam*, non includit Universitatem, Civitatem, aut Collegium. *Paz in Prax. annot. 4. ex n. 19.* Quando Procurator habet generale mandatum quoad negotia, etiam quoad lites censetur mandatum habere: *C. 5. b. t. in 6.* Aliquando Procuratori datur mandatum generale *cum libera*; id est plena, & libera potestate agendi omnia; quæ possit, & ipse Dominus agere. *C. 4. b. t. in 6.* Et potest res mobiles, & immobiles vendere, permutare, alienare, & facere, quæ mandatum speciale requirunt. *C. 4. b. t. in 6. L. 19. tit. 5. p. 3.* sed non potest donare. *L. 63. ff. b. t. Paz in Prax. annot. 4. n. 17. & 10.* Procurator actoris datus ad agendum, etiam ad defendendum datus censetur, & in causa reconventionis tenetur respondere. *L. 33. §. 4. ff. b. t.* Procurator rei ad agendum datus non censetur datus ad ipsum defendendum; nam Dominus in judicio convenitur,

sciens se eum esse, Procuratorem tantum ad agendum constitutus; creditur nolle eum defensorem assignare. *C. 12. b. t. Et ibid. Gonz. n. 6.*

378 Procurator ad negotia potest alium sibi liberè substituere. *C. 1. §. fin. b. t. in 6.* nisi datus sit ad matrimonium contrahendum. *C. fin. b. t. in 6.* vel si aliud negotium magni momenti ipsi commissum sit, vel speciale requiratur mandatum, vel aliter à Domino constet, hæc facultas alterum substituendi. Procurator vero ad lites non aliter, potest alterum substituere; nisi factus sit litis dominus per ejus contestationem; vel à Domino habeat facultatem substituendi, vel in rem suam datus sit. *C. 1. §. 1. b. t. in 6.* Siquidem aliquando Dominus vendit, donat, aut cedit jura; & actiones suas alteri, ita ut ille alieno nomine litiget, emolumenta vero litis pertineant ad ipsum cessionarium; qui dicitur *Procurator in rem suam.* *L. 34. l. 55. ff. b. t.* dicitur *in rem suam*, quia jus, & actionem per cessionem adquisivit: dicitur *Procurator*, quia exercet actionem ab alio mandatam, & cessant. Procurator judicialis sit Dominus litis per litis contestationem; potestque tunc alium substituere; etiam in mandato non continetur hæc potestas. Si enim hæc substituendi potestas ipsi concedatur, vel si datus sit in rem suam, etiam ante litem contestatam potest substituere. *C. 1. b. t. in 6.* Et in hoc stat præcipuum discrimen inter Procuratorem ad negotia, & ad lites. Nam ille liberè quemcumque alium substituere potest; secus Procurator ad lites nisi in casibus dictis: *L. 19. tit. 15. p. 3.* Procurator ergo per contestationem adeo fit Dominus litis, ut licet executio fiat in bonis Domini; totus processus; & sententia regulariter in Procuratorem dirigatur. *L. 23. C. b. t. L. fin. tit. 5. p. 3. Et ibid. Greg. Lop. V. Et personero*; nisi Dominus præsens fuit in judicio, & litem est contestatus; vel in matrimonialibus, Beneficialibus, & spiritualibus causis; vel etiam in causis Ecclesiarum, communitatum, & pupillorum; & in criminalibus criminaliter intentatis. Si Procurator qui in aliquo puncto litis arduo vult Dominum consulere, petat ad hoc inducias, & ipsi denegentur appellare potest. *C. 11. b. t.* quando in judicio condemnatur, debet appellare, non tamen tenetur appellacionem profectur. *C. 14. b. t.* nisi cum mandato ad hoc se extendente constitutus sit.

179 Qui caret legitimo mandato sive

ex parte actoris, si ex parte rei sit constitutus, falsus Procurator dicitur, & gesta ab ipso sunt ipso jure irrita; arg. C. 4. b. t. quia habet tamquam persona extranea, & Judex etiam parte non petente, poterit illum compellere, ut ostendat mandatum, quod sit sufficiens; imò non auditur, nisi illud exhibeat, etiam in causa summaria: sufficit tamen ad validitatem processus, mandatum, quando cumque offerri, etiam post conclusum in causa. L. 16. *Stylli*. Et ita in praxi servatur. *Paz in Praxi*, annot. 4. n. 39. In mandato Procuratoris, ut legitimum, & sufficiens dicatur, debet apponi nomen Procuratorem constituētis, Procuratoris constituti actoris, contra quem, iudicis apud quem constituitur, & causa, de qua agendum est, & etiam dies, annus, & locus, & à tergo manu advocati debet ut sufficiens declarari, & subscribi. Et si postea insufficientis appareat, Advocatus solvet lites expensas. L. 3. tit. 2. lib. 4. R. C. *Aceved. ibid.* *Paz in Praxi*, annot. 4. n. 9. Nec sufficit, quod Tabellio fidem faciat, se legitime mandatum, sed hoc, precipue in nostra Hispania debet modo dicto exhiberi. Nec item sufficit, quod Procurator caveat, Dominum ratum habiturum. C. 1. b. t. L. 40. §. *fin. ff. b. t. l. 10. tit. 5. p. 3.* nam omnia gesta per talem Procuratorem nullius momenti erunt. L. 10. C. b. t. *Conz. in C. 1. b. t. n. 9.* Admittuntur tamen in iudicio ad actionem pro alio, etiam sine eius mandato, proponendam, Canonici, quando agunt pro iuribus suae Ecclesiae. C. 34. *de Offic. deleg.* Coniuncta persona pro suis conjunctis, ut liberi pro parentibus, fratres pro fratribus, maritus pro uxore, & sic alij consanguinei, & affines pro alijs consanguineis, & affinibus usque ad quartum gradum, nisi aperte eorum voluntas repugnet. C. 8. *de in integr. restit.* L. 40. §. *fin. junct. l. 35. ff. b. t.* Patroni, pro libertis, & liberti pro Patronis, & Socij pro socijs in re communis. Sed hi omnes debent praestare cautionem *de rato*, & quidem fidejussoriam de eo, quod illi, pro quibus agunt, ratum habebunt, quidquid fiat, vel iudicatum sit: & si ipsi ratum non habeant, quod ipsi Procuratores, & fidejussores solvent poenam, quae imponatur. Sed reos debet hanc cautionem exigere ante lites contestationem: nam postea non tenentur tales Procuratores eam praestare. L. 10. tit. 5. p. 3. sed in Regijs Cancellarijs hoc non habet locum; ob L. 2. tit. 24. lib. 2. R. C. ut

notat *Greg. Lop. in d. l. 20.* Etiam pro reo absente potest extraneus, etiam sine mandato defensionem assumere, & talis dicitur *defensor*. L. 76. ff. b. t. Nam semper in defensione rei censetur eius conditionem meliorem facere; arg. L. 1. ff. *de Negot. gest.* debet tamen cautionem *de rato* praestare. L. 10. tit. 5. p. 3.

380 Nullus regulariter compellitur Procuratorem constituere, nisi habeat impedimentum perpetuum comparandi. C. 2. b. t. vel causa celeritatem exigit, vel negotium non afferat magnum praedictum, vel si de hoc sit statutum, ut in Regijs nostrae Hispaniae Cancellarijs, ubi certus numerus Procuratorum constitutus est. L. 1. tit. 24. lib. 2. R. C. Et quidem tales, cum munus publicum exercent, possunt compelli accipere mandatum, secus privati. C. 6. b. t. in 6. L. 17. C. *cod.* Si impedimentum litigari non sit dictatum, debet adversarius patienter sperare donec cesset. C. 2. b. t. Reges, Episcopi, & aliae personae valde illustres non litigant per se in sua causa, sed per Procuratorem, nisi in causa criminali contra ipsos mota. L. 11. tit. 5. p. 3. Et quamquam olim, non facile possent Procuratores ad lites constitui postea tamen indistincte in usum Procuratores venerunt ob rationem. Text in L. 1. §. 2. ff. b. t. ibi: *Usus Procuratoris per quam necessarius est, ut qui rebus suis ipsi superesse, vel nolunt, vel non possunt, per alios possint agere, vel conveniri.* Itaque jam hodie omnes Domini, & habentes liberam rerum administrationem, si non prohibentur, possunt Procuratorem constituere. Hoc quippe Edictum prohibitorium est, ac proinde omni illi permittitur, cui hoc specialiter non prohibetur. L. 43. §. 1. ff. b. t. Et qualibet universitas potest Procuratorem constituere, qui *Syndicus*, & *Actor* appellatur. C. 7. b. t. etiam Regentes, vel praedicti sint excommunicati, nisi ipsi excommunicati in litteris Procuratoris sint expressi, vel eorum autoritate Procuratoris constituto facta fuisset, vel si ipsa communitas eos tales sciens admisisset ad constituendum Procuratorem. C. *fin. b. t.* Sane non valet Procuratorem constituere servus, nisi de suo statu litiget. L. 33. ff. b. t. vel quando alias agere potest. L. 8. ff. b. t. Nec Curator, Tutor, vel Syndicus possunt Procuratorem constituere pro minoribus, pupillis, vel communitate, nisi post litem contestatam. L. 11. C. b. t. l. 3. tit. 5. p. 3. Religiosus sine licentia Praelati nequit Pro-

curatorem facere. C. 3. b. t. nisi quando sine licentia Praelati potest stare in iudicio, v. g. ad accusandum Praelatum: quoniam nec Praelatus in causis arduis, & magni momenti potest illum constituere, nec Procuratorem generalem, & perpetuum ad omnia negotia facere valet. Extra hos duos casus potest per se, etiam ante litem contestatam constituere Procuratorem. C. 6. *de Juram. calumn.* *Paz in Praxi*, annot. 4. n. 36. si minor habens Curatorem per se ipsum constituat Procuratorem, sententia pro ipso lata valebit, secus ea, quae contra ipsum feratur. L. 14. C. b. t. Cum autoritate Curatoris potest, & debet constituere Procuratorem. L. 3. tit. 5. p. 3. nisi in casibus, in quibus potest per se litigare: nam tunc etiam sine autoritate Curatoris Procuratorem constituere potest. Idem dicit de filio familias, qui sine patris consensu potest Procuratorem constituere, quando per se potest litigare; ut in l. 2. tit. 5. p. 3. Minor in causis beneficialibus, & alijs spiritualibus, si sit major 14. annis, potest agere, & defendere causam spirituales per se, vel per alium, perinde ac si esset major 25. annis. Si vero sit minor 14. annis per se non agit, sed per Procuratorem, vel Curatorem datum autoritate Judicis Ecclesiastici. Filius familias sine patris assensu agit causam spirituales. C. *fin. de Judic.* in 6. In causa temporali dandus est adulo Procurator à Magistratu. L. 43. ff. b. t.

381 Procurator potest esse, qui litem, vel negotium prosequi potest, etiam absens. C. 7. b. t. in 6. etiam Laicus in rebus spiritualibus. C. 1. b. t. in 6. etiam filius familias; & quidem sine assensu patris si major sit 17. annis, quando ad negotia eligitur, vel major 25. si ad lites constituatur. C. 5. b. t. in 6. l. 5. l. 19. tit. 5. p. 3. In summa: omnes illi, qui non prohibentur, possunt Procuratores esse. L. 43. §. 1. ff. b. t. l. 5. tit. 5. p. 3. Nequeunt tamen Procuratores constitui infantes, furiosi, amentes ob iudicij defectum. L. 2. ff. b. t. nec milites nisi in sua causa, vel nomine suae cohortis. L. 7. l. 9. C. b. t. l. 5. l. 6. l. 7. tit. 5. p. 3. Mutus, & surdus. L. 43. ff. b. t. servus. L. 33. ff. *cod.* femina, nisi sit Tutrix, vel Abbatisa, vel in rem suam, vel in defensionem libertatis, vel pro marito, vel fratribus, vel consanguineis; non potest hoc officium assumere. L. 54. ff. b. t. l. 4. C. *cod.* Infames nequeunt, saltem de Jure Canonico Procuratores esse. C. 1. c. 2. 3. g. 7. Et hinc non est de Jure Canonico officium

vile: de Jure vero Civili esse officium vile constat. Ex l. 3. C. *de Decurion. lib. 10.* sed cum hodie officium Procuratoris à Rege concedatur in Tribunalibus, ubi certus numerus est assignatus, nobile esse dicitur *Paz in Praxi* annot. 4. n. 46. Item nequeunt Procuratores esse excommunicati. C. 7. *de Judic.* Religiosus, nisi sit Praelatus, vel alius de eius licentia. C. 3. b. t. Clerici, quando non possunt postulare. C. *fin. de Postuland. l. 5. tit. 5. p. 3.* Et quidem in uno negotio, vel lite, possunt plures Procuratores constitui, vel simpliciter, vel infosidum. Si plures sunt simpliciter simul constituti, unus sine altero non potest procedere, sed Judex potest unum eligere ad celeberrimam causae expeditionem. Si infosidum sint constituti, ille, qui praevenerit, & causam prius, licet nulliter, tractare coepit, excludit alios. C. 6. b. t. in 6. l. 18. tit. 5. p. 3. si post unum constitutum constituat secundus, hic revocat primum. L. 31. ff. b. t. nisi alter de voluntate Domini constiterit. l. 24. tit. 5. p. 3. In Cancellarijs Regijs Nostrae Hispaniae, & in alijs Tribunalibus, nullus potest esse Procurator, nisi prius à Praefide, & Senatoribus examinetur, & sit ex numero Procuratorum illius Audientiae. L. 1. tit. 24. lib. 2. R. C. *Paz in Praxi*, annot. 4. n. 31.

382 Regulariter in quacumque causa potest Procurator constitui, ac proinde recte constituuntur in causis temporalibus, & spiritualibus. C. 1. b. t. in 6. In pecuniarijs, etiam criminalibus, in liberalibus, seu concernentibus statum: ad lites praesentes, & futuras, in prima, & in secunda instantia: Etiam ad matrimonium contrahendum potest Procurator constitui: debet tamen habere speciale mandatum, nec potest alium substituire: quod si fuerit revocatus, quando contrahit matrimonium, hoc non tenet, etiam si revocationem ignoret. C. *fin. b. t. in 6.* Si non fuerit revocatus, etiam tempore, quo ipse contrahit, principalis dormiat, vel in amentiam incidisset, valet matrimonium. Ut contra *Pozza lib. 2. de Matr. cap. 15. n. 14.* & *Lugo tenent Sanchez de Matrim. lib. 2. D. 11. n. 12.* & alij; arg. C. 3. §. *fin. de Baptismo.* Quia tunc moraliter perseverat mandantis consensus, cum nec revocatus sit, nec per mortem cessaverit. Nec in Procuratoribus ad contrahendum matrimonium requiritur divinitas sexum; sed possunt duo viri, vel duae feminae esse Procuratores contrahentium. *Sanez. de Matrim. lib. 2. D. 11. n. 15.*

Reus,

Reus, nec accusator in causis criminalibus criminaliter intentatis, in quibus potest infligi poena Capitalis, vel alia relegatione major, non potest per Procuratorem comparere. *C. 15. de Accusatione. l. 13. ff. de Public. judic. l. 12. tit. 5. p. 3.* ne sententia Judicis reddatur elusoria, si reus, in quem poena infligenda erat, fugeret. Idem accideret in accusatore, si non compareret, cum deberet ad poenam talionis subscribere. *L. 7. ff. de Accusat.* Si solum venit imponenda poena pecuniaria contra accusatorem, ut hodie, cessante jam talionis poena, cum hæc possit imponi etiam ipse fugiat, nihil interest, quod non compareat per se, cum executio in bonis ejus facienda sit. Si reus absens criminaliter fuerit accusatus, licet non possit defendi, potest per Procuratorem excusari, hoc est, possunt per Procuratorem proponi causæ suæ absentia. *L. 12. tit. 5. p. 3. Gonz. in c. 5. b. t. n. 10.* In causis, in quibus potest principaliter infligi infamia, potest quis Procuratorem constituere, siquidem hoc prohibitum non est. In actionibus popularibus, quæ competunt cuilibet de populo, admittitur Procurator ex parte rei, secus ex parte actoris. *L. 5. ff. de Popular. actione.*

383 Procurator finito negotio, vel lite debet rationem Domino reddere omnium, quæ gessit, illique omnia, quæ sit consecutus restituere. *L. 46. §. 4. ff. b. t. l. 25. tit. 5. p. 3.* Et propter industriam facite promissam, de dolo, & etiam de culpa levissima damnum proveniens, restituere tenetur. *L. 11. l. 13. & Mandat. l. 26. tit. 5. p. 3. Et ibid. Greg. Lop. Procurator* iudem potest à Domino exigere, non solum impensas legitime in negotio factas. *C. 6. b. t. l. 25. tit. 5. p. 3.* sed & damna orta ob culpam levissimam mandantis. *Arg. l. 5. ff. Mandat.* Et quidem in his casibus mandans actionem mandati directam, mandatarius vero actionem contrariam mandati habet. Si Dominus salarium, vel honorarium procuratori promissit, ut potest, & jam regulariter fit. *L. 7. ff. Mandat.* Procurator pro eo habet actionem locati, & utraque actio transit ad hæredes. *Gonzal. in c. 6. b. t.* Sed tales actiones non oriuntur, si contra, vel extra formam mandati aliquod factum est: Nam *sines mandati diligentèr servandi sunt, l. 5. ff. Mandat.* adeo, ut quidquid contra, vel extra mandatum factum sit, nullius momenti est. *C. 22. de Rescript. l. 19. tit. 5. p. 3.* Procurator, quando in iudicio agit, debet jurare de

calumnia, non solum in anima sui Domini, sed etiam in anima sui ipsius. *Paz in Praxi annot. 4. n. 42.*

384 Procuratoris officium finitur morte Procuratoris in quo cum statu negotij, vel litis contingat. *L. 27. §. 3. ff. Mandat.* Siquidem illius industria erat electa. 2. mutuo utriusque consensu: nam dissolvitur modo, quo constituitur. *C. 1. de Reg. jur.* Sed lite contestata, debet accedere consensus adversarij, vel causæ cognitio, quia in iudicio quasi contrahitur eum adversario. *L. 3. §. 11. ff. de Pecul. Gonz. in c. 13. b. t. n. 3. & 4. 3.* morte constituentis, re integra, finitur, re non integra, perseverat. *L. 26. ff. Mandat.* Procurator vero à Prælato deputatus pro iuribus Ecclesiæ, etiam re non integra finitur per mortem constituentis. *Cl. fin. b. t. de Jure Hispano mortuo Procuratore, lite jam contestata, ejus hæredes prosequuntur causam, sed hoc nunquam practicum fuit: si vero ipse Procurator substituerat alium, ipse substitutus, mortuo Procuratore prosequi causam potest. L. 23. tit. 5. p. 3. Et ibid. Greg. Lop. 4.* Procurator potest ante litem contestatam, vel negotium inceptum, etiam sine causa libere à Domino revocari, poëta tamen, ipso nolente revocari nequit, nisi Domino suspectus, aut inimicus, aut adversario affinis fiat, vel in longinquam regionem peregrinetur, aut alia rationabilis causa subit. *C. 2. b. t. in 6.* Revocatio Procuratoris debet intimari ipsi Procuratori, & Judici; vel ejus loco, adversario, ut sciant, Procuratoris potestatem esse finitam: alias valebit, quidquid cum primo factum fuerit. *C. 3. c. 4. b. t.* Postquam in iudicio, vel adversarij notitiam pervenit revocatio, nullum est ipso jure quidquid cum ipso Procuratore fiat. *C. 13. b. t. Et ibid. Gonz.* In matrimonij tamen Procuratore cessat potestas statim ab ipsa revocatione, etiam non intimata. *C. fin. b. t. in 6.* Renuntiatio facta à Procuratore constituto ad renuntiandum beneficio, post revocationem mandati, etiam si ad ejus, vel Superioris notitiam non perveniat, jure speciali valet. *Cl. un. de Renuntiatis. Gonz. in c. 13. b. t. n. 9. 5.* Procurator potest renuntiare officio ante litem contestatam: secus post eam, nisi jura absque causa. *L. 8. l. 9. l. 10. ff. b. t. 6.* finito negotio finitur hoc officium: & si ad litem sit datus Procurator, finita instantia judicij per sententiam definitivam, nam licet teneatur Procurator appellare, ne sententia transcat in rem judicatam, non tene-

tur appellationem prosequi, quia per litis contestationem fuit factus Dominus instantia, non causæ. *C. 14. b. t.* Denique, si Dominus ante, vel post litem contestatam, ad suam causam veniat, ut eam agat, & tractet per se, finitur Procuratoris officium. Quippe hoc ipso, nisi aliud exprimat, & protegetur, ceniatur Procuratorem revocare. *C. 8. b. t. in 6.* Huc potest reduci officium Cardinalis Camerarij, vulgò Camarlengo, qui Procurator, & Æconomus est Ararij Pontificij, habetque unam ex tribus clavibus thesauri in Castro S. Angeli servari, alias habent Papa, & Decanus Sacri Collegij, curamque habet proventuum Camera Apostolica, & Sedevacante magna gaudet authoritate, quippe qui potest monetam cum suis gentilitijs insignijs cudere. *Calderon de Excellent. Roma, p. 2. lib. 5. cap. 4.*

TIT. XXXIX.

De Syndico.

385 CUM Universitas, Collegium, Civitas, Oppidum, vel quæcumque Communitas per se, nec convenire, nec conveniri possit. *L. 7. §. 1. ff. Quod cuiusque Universi. l. 13. tit. 2. p. 3.* debet constituere alium, vel duos, aut tres, qui ipsam Communitatem ad hos effectus representent. *L. 1. §. 1. ff. Quod cuiusque Universi.* taliter constitutus regulariter Syndicus dicitur, sicut generaliter Procurator appellatur, qui à privato constitutus est. Ut ergo Syndicus constituatur, debent vocari omnes, qui habent suffragium, & congregari duæ, saltem illorum partes, & contentæ major pars congregatorum. *L. 3. ff. Quod cuiusque Universi. in bona, & jura, super quibus constituitur, pertineant etiam communiter ad Prælatum, ejus assensus requiritur.* Debetque talis Syndicus habere mandatum sigillo Universitatis munitum, & ubi est consuetudo ab aliquibus subscriptum. In nostra Hispania constituitur Syndicus modo, & forma, de qua in *L. 98. tit. 18. p. 3.* Talis Syndicus pro varietate materia, varijs nominibus solet appellari. Si enim sit constitutus ad lites, & sententias præsentis, & futuras, dicitur Syndicus. *C. 2. de in Integr. restit.* Si ad negotia extrajudicialia, dicitur Curator; si ad pecuniam administrandam, dicitur *Questor*, seu *Administrator Camera.* Si ad criminales causas, & persequendas po-

nas, & multas Universitati debitas, dicitur *Fiscalis.* Si ad certam causam, vel litem, dicitur *Actor publicus.* Si Communitas, cujus vices agit, sit Ecclesia, Æconomus dicitur. *C. 2. D. 89.* Et licet sic pro diversitate causarum diversis appellentur nominibus, ob affinitatem negotiorum generaliter procuratores, & alijs nominibus appellentur. *C. 7. c. 9. b. t.* Potest constitui Syndicus aliquis de corpore Universitatis; etiam illius Rector, vel Superior, vel etiam extraneus. *Gonz. in C. un. b. t. n. 10.* Etiam in causis spiritualibus Laicus potest Syndicus constitui; quia nec munus spirituale, nec jurisdictionem, sed nudum ministerium exercet; *arg. C. 1. de Procurat. in 6. Æconomus vero Ecclesiæ, cum administrationem spiritualium habeat, debet esse Clericus. C. 22. 16. q. 7. Gonz. in C. un. b. t. n. 12.*

386 Potestas Syndici, si aliunde non retringatur, vel amplectur, eadem ferè est, ac Procuratoris constituti *cum libera L. 6. §. fin. ff. Quod cuiusque Universi.* potestque transigere, præstare juramentum, aliaque hujusmodi facere: non tamen donare, nec remittere debitum liquidum. Post contestationem fit Dominus litis, & in ipsum processus dirigitur, & cum sit persona publica Universitatem representans, præsumitur esse solvendo, ac proinde non cogitur satisficere de *judicato solvendo*, sed tantum de *judicio fisci*: nec cavere debet de rato, nisi quando de ejus mandato dubitatur. *L. 6. §. 3. ff. Quod cuiusque Universi.* & quando jurat de calumnia, solum in suam propriam animam, non vero in animam communis, vel eam constituentium jurat. *C. 3. c. 4. de Juram. calumni.* Et cum ad causas Universitatis sit constitutus generaliter, non finitur ejus officium finita instantia, sed debet prosequi appellationem; *arg. C. 14. de Procurat.* Nec morte constituentium finitur, quia communitas, cujus nomine constitutus est, non moritur, sed in quibuscumque successoribus est moraliter eadem. *L. 7. §. 2. ff. Quod cuiusque Universi.* Revocatione, & alijs modis, quibus Procuratoris officium finitur, similiter & finitur officium Syndici. Et quidem Abbas solus potest revocare Syndicum, etiam cum consensu Capituli constitutum; quia ipse solus in causis sui Monasterij agere potest. *C. 21. de Rescript.* nec in tali revocatione vertitur Monasterij præjudicium. Religiosi debent habere Syndicum extraneum, qui causas Monasterij agat, & defendat; etiam assignato illi salario: nam expedit pro parvo incom-

modo à strepitu causarum servos Dei segregari, & quietos vivere. *C. un. b. t.* Si vero necessitas, vel utilitas aliud exigat, potest constitui Syndicus unus ex Religiosis cum consensu Prælati. *C. 35. 16. q. 1.* Et sic in praxi servatur *Gonz. in C. un. b. t. n. 12. qui n. 13.* ait: hunc textum non de necessitate, sed ex honestate tantum procedere. Denique in dubijs, si quæ oriuntur, debet attendi, & servari Syndici mandatum. *L. 98. tit. 18. p. 3. Gonz. in C. un. b. t. n. 10.*

TIT. XL.

De his, quæ vi metusvæ causa fiunt.

387 **V**IS absoluta, seu præcisæ est majoris rei impetus, qui repellere non potest. *L. 2. ff. de eo, quod metus caus.* vel clarius: est corporalis coactio ad patiendum, vel faciendum aliquid. *L. 15. tit. 2. p. 4. ibi: Fuerza se debe entender de esta manera, quando alguno aduce contra su voluntad, o le prenden, o le ligan.* Sic Pyrrus Priamum Altaria ad ipsa trementem traxit. Et cum hæc vis tollat absque voluntarium. *Aristot. Ethic. 2. cap. 1. C. 3. §. fin. de Baptism.* excusat à peccato illam patientem, ut S. Lucia dixit Tyranno: *Si invitam jufferis violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.* *L. 39. ff. ad L. Jul. de Adulter. L. 20. C. eod.* ubi Lex Julia non comprehendit mulierem vi oppressam. Quod si vis armis inferatur, dicitur vis publica, & armata; si sine illis, vis privata dicitur. *§. 6. Inst. de Interdict.* si aliquid mobile per vim auferatur, dicitur vis ablativa: & adversus eam competit interdictum vi bonorum raptorum. Si quis in sua possessione turbatur vis turbativa committitur, & competit, si facta est in immobilibus interdictum uti possidetis, si in mobilibus interdictum utrobi, quando quis in usu suæ rei inquietatur, committitur vis inquietativa, & competit interdictum, quod vi, aut clam. Si quis ejiatur à possessione suæ rei committitur vis expulsiua, & competit interdictum unde vi. Denique quando quis compellitur ad aliquid faciendum, quod alias non faceret: v. gr. quando aliquis alicui mortem minatur, si aliquid non faciat, committitur vis compulsiva, & competit actio, & exceptio. *Quod metus causa*, quæ omnia plures Textus, & DD. citant aucter. *Doct. An-*

ton. *Pichard. in pr. Inst. de Vi bonor. raptor. ex n. 13.*

388 Vis compulsiva dicitur etiam conditionalis, seu modificata, & in hoc sensu sumitur in præfenti Rubrica: parum enim dilatat à metu, nisi in eo, quod vis referatur ad eum, qui cogit, metus ad eum, qui cogitur. *Metus ergo est metus trepidatio, insipientis, vel futuri periculi causa.* *L. 1. ff. de eo, quod metus caus. id est, actus voluntatis fugiens malum imminens.* Si futuri mali apprehensio vehementer animum contrahat, datur metus; si mali imminens apprehensio conturbat, timor dicitur: si malum, quod apprehenditur sit permanens, formido appellatur. Si valde concutiat, terror dicitur. Si mentem loco moveat, pavor; si ulterius processerit, exanimatio est. Ita *Gonz. in C. 1. b. t. n. 11.* Vis præcisæ, & absoluta tollit absolute voluntarium. Siquidem illam ab extrinseco patiens, non tam agit, quam agit. Metus tamen, licet minuat, non tollit voluntarium. *L. 21. §. 5. ff. de eo, quod metus caus. ibi: Quamvis si liberum esset noluissem, tamen coactus volui.* Unde *Gloss. Voluntas coacta voluntas est.* Et ideo nullus metus excusat à peccato illum, qui facit quod est intrinsece malum. Et hinc merito Innoc. XI. damnavit hanc Propositionem, quæ est 29. *Urgens metus gravis est iusta causa Sacramentorum administrationem simulandi.* Metus alius est gravis, alius est levis. *Metus gravis* absolute talis est, qui cadit in virum constantem, seu constantissimum, ut loquitur *L. 6. ff. Quod metus caus.* & vehementer ejus animum conturbat, nec facile potest superari: & etiam *metus justus* appellatur, & *metus majoris malitatis.* *L. 5. ff. de eo, quod metus caus. Vir constans ille dicitur, qui alias fortis, & non meticulosus est.* *L. 15. tit. 2. p. 4. ibi: Miedo se entiendo, quando es fecho en tal manera, que todo ome, maguer fuesse de gran corazon, se temiese de el.* Ut ergo metus cadere dicatur in virum constantem duo requiruntur, scilicet, quod & malum, quod timeatur grave sit iudicio prudentium, & quod gravi, seu probabili ratione timeatur, tanquam imminens. Sic *Suar. lib. 1. de Voto, cap. 8. n. 1.* gravem metum incutunt mors, mutilatio, servitus, amissio status honorifici, vel Dignitatis, amissio bonorum, vel saltem notabilis partis illorum, atrox cruciatus, verbera, carcer diuturnus, exilium, stuprum, adulterium, & alia hujusmodi. *C. 2. e. 6. b. t. L. 3. l. 4. l. 7. ff. eod. l. 15. tit. 2. p. 4.* idem est, si hæc omnia timeantur, non solum sibi, sed ne filijs eveniant,

stant. *L. 8. §. fin. ff. b. t. ob rationem, quæ ibidem redditur: Cum affectu parentes magis in liberis trevantur.* Si vero metum patiens facile his malis occurrere possit, non censetur metus gravis. Metus falsæ infamiae vanus est, & contemnendus. *L. 7. ff. de eo, quod metus caus.* metus vero admittendi criminis, ex quo vera sequatur infamia, gravis est. *L. 8. §. pen. ff. b. t.* Quando quis aufugit ex timore tantum, quod ad eum homines armati accederent, non potest intentare Edictum, quod metus causa: cum non censetur metus gravis, si verò illos armatos ad se venientes vidit, & aufugit, causam iusti, & gravis metus habuisse creditur. Et sic concordantur *L. 9. ff. de eo, quod metus caus. Et leg. 33. §. 2. ff. de Usucapion. Gonz. in C. 1. b. t. n. 14.* Quando actio est tantum per Legem Civilem, vel Ecclesiasticam prohibita, gravis metus à peccato excusat talis Legis transgressorem. Sic David comedit, necessitate urgente, panes propositionis contra Legem scriptam, & à Domino excusatur apud *Matth. 12.* Item Discipuli Domini, qui alienas spicas fame coacti sumpserunt, immunes fuerunt à peccato, Christo D. sic declarante apud *Matth. 12.* Et habetur Text. in *C. 26. de Conf. D. 5.* quia Leges humanae non obligant cum tam gravi periculo, nisi per accidens misceatur obligatio Juris Naturalis, quia v. g. illa transgressio cedat in damnum Republicæ, vel in contemptum Legislatoris, præcipue Ecclesiastici, vel in indei contemptum, vel si scandalum generetur ex non observatione; ut si Hæreticus in contemptum Ecclesiæ mortem minaretur Catholico, si carens in die jejunii non comedat: tunc enim potius debet mortem pati, quam carnes comedere. *C. 8. 32. q. 4.* Sic Eleazarus maluit mortem subire, quam carnes porcinas in contemptum Legis comedere. *Matth. 2. cap. 6.* Sic etiam fidelis nequit cum excommunicato communicare, in contemptum Clavium Ecclesiæ, etiam quocumque periculo proposito. *C. 5. b. t. ibid. Gonz. n. 10.*

389 Metui gravi æquivaler metus reverentialis, filij, uxoris, Clerici, Monachi, vel subditi erga parentem, maritum, Episcopum, Abbatem, vel Principem, dummodo accedat rigida tractatio, asperitas vultus diuturna, rixæ; importunæ preces, & repetitæ, & alique minæ. *C. 8. 20. q. 1. C. 11. de Desponsatione impuber.* siquidem valde molestem est sustinere prædicta mala, vel preces, à persona, cui debetur reverentia, obedientia, vel continua ha-

bitatio; *arg. C. 2. de Pact. in 6. L. 22. ff. de Rit. nuptiar. junct. Gloss. fin. ibid. L. 10. tit. 1. p. 4. Et ibid. Greg. Lop. V. Todo, independenter ab his metus reverentialis levis censetur Greg. Lop. ubi supra. Sanchez de Matr. lib. 4. D. 6. n. 7. contra varios variententes apud ipsum ex n. 4.* Si enim quicumque metus reverentialis gravis censetur, plures contractus inter has personas celebrati, essent infirmi. Nec solæ minæ gravem metum incutunt, nisi procedant ab eo, qui solitus sit eas exequi. *L. 9. e. b. t.* Nec fat est suspicio tantum metus inferendi, nisi vehementer sit, ut pro metu habeatur. *L. 9. ff. de eo, quod metus caus. L. 7. §. 1. ff. Quod fals. Tutor. Gonz. in C. 1. b. t. n. 12.* Metus, qui absolute non est gravis, censetur gravis respectivè, attempta qualitate subjecti, alijsque circumstantijs inspectis. Talis consideratur metus in Tenibus, mulieribus, pueris, & Indis, quos quidem minor vexatio facile conturbat; *arg. C. 6. de Homicid. e. 4. 32. q. 6.* Et quidem Judicis arbitrio relinquuntur judicare, quando talis metus, gravis, vel levis, sit habendus. *Metus levis* est vana mentis trepidatio ex malo levi, & modico immediate orta, qui non vehementer animum conturbat, & facile potest excuti, solumque cadit in virum pusillanimum, & formidolosum, qui non timenda timet. Talem metum incutit levis infamia, vexatio modica, & quid simile. Et solet vocari *metus injustus, improbabilis, & vanus.* *L. 6. ff. de eo, quod metus caus. L. 184. ff. de Reg. jur.* Metus, sive gravis, sive levis, alius est incutus ab intrinseco, alius ab extrinseco. Ab intrinseco incutus est ille, qui à causa naturali, & non libera provenit. V. g. à naufragio, incendio, ruina, morbo, bellua, &c. Ab extrinseco incutus dicitur ille, qui provenit à causa libera, scilicet, ab homine. Et tunc alius est justus, alius injustus incutus: alius est proinde metus justus, vel injustus dicitur. Justus ille censetur, qui inferatur ab eo, qui jus inferendi illum habet: v. g. si Judex minetur mortem delinquenti, qui poenam mortis meretur, vel si Episcopus sub censura adimplere præcipiat sponsalia legitime contracta. Injustus est, quando illum inferens non habet jus illum inferendi, sed per injuriam metum infert, v. g. latro, qui minatur mortem, si ipsi pecunia non tribuatur. Metus potest incuti, vel ab altera comparte contrahente, vel ab alio tertio: item potest incuti adversè ad extorquendum consensum, ad aliquid actum, ut si latro mortem minetur Titio, si non

tribuat pecuniam: vel potest incuti ob alium finem, ut si pater ob violentiam suae filiae factam minetur mortem, & violator ad mortem vitandam promittat illum in uxorem ducere.

390. Actus proveniens à metu gravi intrinseco valet, & non rescinditur. Similiter valet, nec rescinditur actus factus metu, etiam gravi, & ab extrinseco proveniente, incussio tamen iuste, id est, ab habente jus incutiendi: v. g. si quis contrahat matrimonium metu accusationis, vel poenae incussio ab eo, qui potest iuste deferre ad Judicem; matrimonium validum erit; arg. L. 21. ff. de eo, quod metus caus. ibi: *Huius sibi metum ipsa infert.* Si metus gravis iniuste incutiatur, etiam illi incutiens, si tunc, & sine animo exequendi, mortem v. g. minaretur, dum patiens metum serio credat, mortem esse sibi inferendam, attentio iure Naturae non reddit actum, ad quem metus infertur, invalidum, cum in eo non desit simpliciter voluntarium, & consensus. Metus verò levis, etiam iniuste incussus sit, non reddit actum invalidum, nec rescindibilem, nec metum passio datur actio in foro externo. L. 6. ff. de eo, quod metus caus. quod ob quietem publicam statutum est, ne Tribunalium litium frequentia obruantur: & ne foveantur lites, ac consequenter impediatur commercia. Sed cum talem metum inferens faciat injuriam, & iniustitiam, debet in conscientia satisfacere pro illa injuria, & rescindere actum, si metum passus velit, vel ipsum implere, si metum passus rescissionem nolit, ut sic res in pristinum statum restituitur, & redigatur ad aequalitatem. Et ad hoc est in conscientia obligatus metum inferens. *Sanch. de Matr. lib. 4. D. 9. n. 4. cum pluribus, contra alios varie sentientes apud ipsum ex n. 1. Imò & in foro externo taliter metum passio succurrit officio Judicis, & contractus rescinditur: quia non est æquum, Judicem permittere, ut metum inferens commodum ex sua culpa reportet; arg. L. fin. ff. de Extraord. crimin. Sanch. de Matr. lib. 4. D. 9. n. 5. Gonz. in C. 1. b. t. n. 14.*

391. Actus extorti gravi metu iniusto non sunt ipso jure positivo nulli, nec irriti, sed tantum irritandi, & rescindendi per Judicem, proposita actione: *Quod metus causa*, etiam metus non ab ipso contrahente, sed ab alio tertio sit incussus. L. 14. §. 13. ff. de eo, quod metus caus. C. 15. de sponsal. Ita tenent Glos. in C. un. b. t. in 6. Gl. in L. 21. V. Ullam, ff. de eo, quod metus caus. Anton. Gons. var. 3. cap. 4. Sanch.

de Matr. lib. 4. D. 8. n. 4. ubi plures citat. Gonz. in C. 1. b. t. n. 15. contra Solo de Just. & jur. lib. 8. q. 2. art. 7. Palacios de Contract. lib. 4. cap. 9. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 326. Fortum. & alios, qui dicunt, actus metu gravi iniusto in totum esse nullos ipso jure. Et quidem nostra conclusio probatur ex C. 2. b. t. l. 1. l. 9. §. 3. l. 21. §. 5. ff. de eo, quod metus caus. L. fin. C. eod. §. 1. Instit. de Exemption. L. 56. tit. 5. p. 5. ibi: *Por miedo, ó por fuerza a comprando, ó vendiendo algun ome alguna cosa, non debe valer, ante decimos, que debe ser desfecha la compra. Et ibid. Greg. Lopez, V. Desfecha.* In quibus Textibus actus metu gesti, rescinditur, & cum certum sit, actus ipso jure nullos rescindi non posse. L. 5. ff. de iniusto rupt. legitime deducitur, tales actus non esse nullos, nec irritos ipso jure, imò & validos esse summo jure infertur: quia in ipsis nec voluntarium, nec iustus titulus deest, ac proinde jure naturali valent, & cum nullo jure positivo irritentur, etiam summo jure positivo valere dicendum est: ne jus positivum sine fundamento discordemus à jure naturali. Deinde: quia magis favorabile est metum passio, cujus favorem Leges spectant, si contractus, vel actus subsistat, quam si ipso jure esset nullus: sic enim ipse potest eligere, vel actum rescindere, quando ipsi fuerit damnosus, vel si utilis sit, poterit compellere inferentem metum, stare actui, & ipse ad hoc est obligatus in conscientia. Sed quia inspecto effectu idem est, quando actus rescinditur, ac quando nullus est: ideo actus metu gravi facti irriti solent appellari. L. 1. C. de Rescind. vendit. quod clarè patet ex L. 56. tit. 5. p. 5. Et hoc modo fit satis fundamentum præcipuo adversariorum.

392. Sunt tamen aliqui actus, qui ad sui valorem requirunt majorem libertatem, & spontaneitatem: ac proinde si metu gravi iniusto extorqueantur, sunt nulli ipso jure. Tales sunt matrimonium. C. 14. c. 15. de sponsalib. Constitutio procuratoris ad illud. *Sanch. de Matr. lib. 4. D. 12. n. 22.* quia ut accessorium sequitur naturam principalis. C. 42. de Reg. jur. in 6. promissio, & constitutio dotis. L. 21. §. 3. ff. de eo, quod metus caus. Sponsalia. C. 11. de Desponsat. impuber. *Sanch. de Matr. lib. 4. D. 19. n. 3.* contra Enriq. & alios, promissio, & traditio rerum Ecclesiae, etiam juramento firmata. C. 2. de jur. jur. Testamentum, ad quod testes coguntur. L. 20. §. fin. ff. Qui Testament. facer. Absolutio à censura. C. un. b. t. in 6. Datio libertatis.

L. 9.

L. 9. ff. Qui, & à quib. electio Canonica. C. 14. de Election. collatio jurisdictionis, & ejus prerogatio. L. 2. ff. de Judic. factum à Tutore invito, vel per vim detento. L. 1. §. 1. ff. de Auctor. Tutor. Professio, vel vota religiosa, seu solemnia: quia non solum libertatem, sed spontaneitatem requirunt. C. 1. de Regular. ibi: *Spontanea voluntate.* C. 1. de Statu Regul. in 6. C. 1. b. t. ex quo, & idem de voto simplicis religionis tenet *Suar. de Voto, lib. 1. cap. 8.* Renuntiationem beneficij metu factam, esse ipso jure nullam tenet *Gonz. in C. 3. b. t.* cum alijs ex Cl. 2. de Penit. contra *Barbof. Garc. de Benef. p. 11. cap. 3.* & alios. Votum simplex gravi metu extortum, etiam ad hoc directè incussio, mero, & summo jure valet; licet relaxari possit, metu probato. *Suar. de Voto, lib. 1. cap. 8. à n. 4. Marin. de Voto, Disp. 1. sect. 15. n. 73.* Nam cum ex una parte tale votum sit voluntarium, & aliunde nullo jure positivo probetur irritum, ipso jure, valere dicendum est: nam text. in C. 1. b. t. loquitur de professione religiosa: & text. in C. 6. b. t. tantum à contrario sensu metus levis hoc posset inferre. Nec probat in voto, sicut non probat in juramento. Contrarium tamen tenet *Gonz. in C. 6. b. t. n. 10. citans Bonat. & alios.* Similiter juramentum licet metu gravi extorqueatur validum est, etiam jure positivo. C. 8. de Jur. jur. C. 2. c. 3. b. t. L. fin. tit. 11. p. 3. donec relaxetur: sed certe ratione metus facile relaxatur. C. 15. de Jur. jur. Quando verò relaxatum est, servari non debet: nec contractui robor, nec firmitatem præstat. *Suar. de Jurament. lib. 2. cap. 10. n. 4. Sanch. de Matr. lib. 4. D. 20. Gonz. in C. 6. b. t. n. fin.* contra *Straph. Cabrer. & alios.* Et ratio est, quia juramentum, quod sine dispendio salutis aeternae, & sine alterius præjudicio potest impleri, servandum est. C. 28. de Jur. jur. Et hac ratione dicendum est, quod renuntiatio beneficij metu facta, juramento firmata, valet. C. 3. c. 4. b. t. donec juramentum relaxatur. Tunc enim renuntiatio nulla est. C. 2. b. t. *Gonz. in C. 4. b. t.* De quibus casibus late agunt *Gloss. in C. 2. b. t. V. Coactus. Gonz. in C. 1. b. t. ex n. 17. & alij.* Quando metus non est incussus ad extorquendum actum, sive proveniat à causa morali sive libera, & quamvis gravissimus sit, non reddit actum nullum, nec rescindibilem, sed firmus utique est, non obstante latè metu; arg. C. 17. de Regular. ubi valet votum factum metu mortis ab eo, qui morbo laborabat. Et

Tom. I.

ratio est, nam ille, qui actum facit ob metum, non impellitur ab alio ad talem actum, sed à se ipso; cum nullus tunc humilissimi actus exigat, sed voluntarie eligatur à metu passio, ut medium ad evadendum periculum animæ, vel corporis. Sic *Sanch. de Matr. lib. 4. D. 12. ex n. 3.* ubi plures casus particulares, & Doctores illos probantes asserit.

393. Si actus metu gestus est ipso jure nullus, probata nullitate, & declarata per Judicis sententiam, repetitur, ac restituitur quod datum, aut acceptum est. C. fin. b. t. Quando verò contractus, vel actus non est ipso jure nullus, sed est rescindendus: si metum passus jam traderet rem, & in illo actu est læsus, & damnum acceperit, & metus est gravis, ab extrinseco iniuste illatus, & præiens, tunc talis metum passus habet actionem: *quod metus causa*, qua coram Judice petit, contractum, vel actum rescindi, sibi que restitui suam rem cum fructibus ab inferente metum perceptis, & cum illis, quos ipse metum passus potuisset percipere, si non fuisset metus incussus: siquidem fuit causa talis damni. L. 12. ff. de eo, quod metus caus. quam quidem actionem etiam habet contra tertium possidentem, licet metum non intulisset. L. 14. §. 3. ff. de eo, quod metus caus. daturque hac actio contra hæredes, quatenus ad eos pervenit, ne lucrum ex damno alieno consequantur. L. 9. §. fin. l. 14. §. In hac, ff. de eo, quod metus caus. Et quatenus rei persecutionem continet, datur hæredibus, ceterisque successoribus. L. 16. §. 2. ff. de eo, quod metus caus. Quod si res nondum sit tradita, & illam petat, qui metum intulit, repellendus est exceptione: *quod metus causa*, quia cuiusdam actiones, eadem, & exceptionem competere multo magis quæ dixerit. L. 150. ff. de Regul. jur. De quo late *Gonz. in C. 1. b. t. ex n. 21. Picard. in §. 27. Instit. de Actionib.*

TIT. XLII.

De in integrum Restitutione.

394. **R**estitutio est restitutio in pristinum statum, in quo res fuit ante lesionem. C. fin. 2. q. 2. L. 24. §. 4. ff. de Minor. l. 1. tit. 19. p. 6. ibi: *E que revoque el juicio, que fuisse dado contra él, é torne el pleyto en el estado, en que era ante que lo diesen.* Et quidem hæc restitutionis remedium potest proponi

Za

pea